PROBLEMATA PHLEBOTOMICA,

EX GALENI LIBRO DE CURANDI RATIONE PER SANGUINIS MISSIONEM DEPROMPTA, ET AD MENTEM EIUS DECISA:

Publici ac solennis exercitij gratiâ in inclytâ Argentoratensium Academiâ proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO, DOCTOre ac Professore Medico, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

ANTONIO KISLINGIO
Zittaviâ - Lusato.

Mense Martio horis locóq; solitis.



ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS REPPII,
ANNO M. DC. XXXI.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

PRÆLOQUIUM.



Onsilium Galeni est, l. de cur. ratione per sanguinis missionem c. 1. *eum, qui rectè ac cum fructu venæ sectionis remedio uti volet, sequentia capita probè nôsse, secúmq; etiam atq; etiam perpendere debere.*

I. Quinam corporis affectus vacuationem requirant?

II. Qui affectus eam vacuationis speciem, quæ fit per sanguinis missionem, postulent? Multi enim sunt, qui vacuatione quidem egent: sed non eâ, quæ per sanguinis detractionem instituitur.

III. Qui homines hanc vacuationem citra noxam ferre queant? Sæpè enim accidit, ut ipse quidem affectus sanguinis missionem flagitet: æger verò eam, vel propter ætatem, vel propter anni tempus, vel propter regionis naturam, vel propter oris ventriculi κάκωσιν *& afflictionem, vel propter universi corporis habitum tolerare nequeat.*

IV. Quo tempore sanguinis detractio instituenda?

V. Quæ vena secandæ? Gravis enim de iis apud Medicos est controversia. Alii enim nullum venarum delectum adhibendum statuunt: sed omnes ex æquo omnibus prodesse affectibus contendunt. Hippocrates *autem & clarissimi quiq; medendi artifices multùm interesse arbitrantur, hac an illa vena incidatur?*

VI. Quâ mensurâ & quantitate sanguis vacuandus?

VII. In quibus semel sanguis mittendus: & in quibus repetita facienda ablatio, quam ἐπαφαίρεσιν *vocant?*

VIII. Quibus usq; ad animi deliquium sanguis mittendus? & in quibus ejusmodi vacuatio, tanquam summè detrimentosa, vitanda?

Hæc ergò capita & nos jam perpendemus, atq; ad propositas quæstiones secundum Galeni *mentem ex* libello allegato & medendi methodo *breviter ac succinctè respondebimus*.

QUÆSTIO I.

Quæ corporis affectiones vacuationem requirant?

A*D hanc quæstionem* Galenus *respondet* cap. 4. l. de curat. per S. M. *proculdubio sequutus* Hippocratem aphor. 22. sect. 2. *ubi docetur, vacuatione curari illos morbos, qui fiunt* ἀπὸ πλησμονῆς, *à plenitudine. Ratio extat apud eundem* in libro de flatibus: *quia contraria contrariorum sunt remedia. Statuit autem* Galenus, *vacuationem postulare illos affectus, qui à vitio humorum & vaporum sunt profecti. Vitium verò istud humorum duplex est: alterum in quantitate: in qualitate alterum. Vitium in quantitate* πλήθωρα *appellatur: quæ duplex: una* πρὸς τὴν δύναμιν, *ad vires; cujus signum est gravitas: altera* κατὰ τὸ ἔγχυμα, *ad vasa; cujus nota est tensio. Utraq; rursùs ratione subjecti, vel universalis est, vel particularis. Illa corpus totum, aut plerasq; illius partes: hæc unam duntaxat partem occupat. Vitium humorum in qualitate* κακοχυμία *nuncupatur. quæ similiter, aut universalis est, aut particularis: qualis sæpè in ventriculo se offert, cujus causâ aut morsum, aut nauseam, aut ciborum fastidium, aut absurdum appetitum quandoq; sentimus.* Vapores, *sive* spiritus *flatulenti partibus sæpè sunt inclusi, in iisq; quantitatis, aut qualitatis ratione acutos dolores pariunt. Itaq; in omnibus affectibus corporis qui ab hisce, tùm humorum, tùm vaporum vitiis originem duxerunt, vacuatione opus est: non quidem semper per venæ sectionem: sed sufficere etiam potest purgatio, frictio, balneum, inunctio per digerens remedium instituta. Quod si quæratur, cùm plethora utraq; etiam in sanos cadere queat, utrùm sani quoq; vacuandi? Respondet* Galenus, *utramq; plethoram in utroque subjecto, sano pariter*

&

& ægro, vacuationis egere. Vbi enim est indicans vacuationis, ibi etiam vacuatio, tanquam indicatum, locum habet.

QUÆSTIO II.

Qui affectus eam vacuationis speciem, quæ dicitur sanguinis missio, postulent?

Ex hoc & aliis Galeni *libris, præsertim verò ex* methodo medendi, *colligere licet, venæ sectionem iis in affectibus administrandam esse, qui ab aliquo notabili effatuq; digno sanguinis vitio dependent. Hoc verò, vel est in substantiâ, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in motu. In substantiâ, cùm est putrefactus. In quãtitate, cùm ita auctus, ut vel vires gravet: vel vasa distendat. In qualitate, cùm fervet & quasi ebullit. In motu, cùm impetuosiùs ad partem, vel debilem, vel calefactam, vel dolore afflictam, affluit, aut affluxurus est brevi. Putrefactus est in synochis putridis. Auctus in plethorâ utraq; & affectibus iis, qui ex illa nati: cujusmodi sunt synochi putredinis expertes. Fervet in iisdem febribus, & cùm ab æstuariis, balneis, insolatione, cibis, potibus & medicamentis calorificis, corporis exercitatione vehementiore, irâ & excandescentiâ prohibitâ ventilatione & transpiratione, accensus est atq; inflammatus. Affluit, aut affluxurus est brevi in partium inflammationibus, vulneribus, ulceribus, fracturis & luxationibus ossium, nervorum puncturis, contusionibus, distorsionibus &c. in quibus affectibus sanguis, vel propter partis affectæ calorem, vel propter vehementem dolorem impetuosè quandoq; accurrere solet. Itaq; sanguis in illis mittitur, aut κενώσεως, aut καταψύξεως, aut ἀντισπάσεως, aut παροχετεύσεως ἕνεκα. Est enim venæ sectio, & vacuatorium, & refrigeratorium, & revulsorium, & derivatorium præsidium. Perperàm proinde docuerunt olim Methodici, venam in solâ syndrome plethoricâ & sanguinis abundantiâ secandam esse. Hoc enim si verum esset, sequeretur, præsente plethorâ, venam semper tundendam esse: & absente, sanguinem nunquam*

detrahendum. Atqui videre licet sanos, nec adhuc quicquam læsos, in quib. sanguinis est redundantia, quæ tamen non statim phlebotomiam postulat: sed aliâ in aliis vacuatione tolli potest: v. g. vel inediâ, vel cibi parcitate, vel balneo frequẽtiore, vel exercitatione, vel multâ frictione, vel lenitione alvi crebrâ, vel purgatione. Deinde cõsultũ videtur etiam ipsis Empiricis, ut ad sanguinis missionẽ confugiatur, cùm quis vel lapsus est ab alto: vel vehemẽter aliquâ in parte contusus; quanquã idem ante lapsũ, plagãve, fuerat sanus, & plethoræ prorsùs expers. Gal. l. de S. M. c. 8. & l. 4. meth. med. c. 6.

QUÆSTIO III.

Quæ ætates venæ sectionem benè & citra noxam, quæ eandem malè ferant?

Benè fert sanguinis missionem ætas florens, siue juvenilis: quia virium robore pollet: teste Galeno l. de cur. rat. per S. M. c. 9. *Non fert eam facilè puerilis: ut etiam habetur* l. 13. meth. med. c. 11. *Rationem dat* l. 9. c. ult. *quoniam omnium facilimè digeritur ac dissipatur. Est enim omnium humidissima. Non ergò vacuantis præsidii eget: cùm habeat ex se ipsâ, unde naturaliter vacuetur.* Idem *monet* lib. 11. meth. med. c. 14. *vbi scribit, puero ante 14. ætatis annum sanguinem detrahendum non esse: eò quòd propter temperamenti caliditatem ac humiditatem plurimum corporis substantiæ quotidiè defluat ac digeratur* : *adeò ut quod ex incidendâ venâ moliendum nobis est, id ultrò nobis ex corporis naturâ præstetur. Quod si post 14. annum multus congestus sit sanguis, vigeatq; tempus vernum, & regio sit naturâ temperata, puerîq; constitutio sanguinea, venæ sectionem admittit,* l. de cur. rat. per S. M. c. 13. *multóq; magis, si aut peripnevmoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti gravísque mali periculum incumbat.* Aetas senilis *ad venæ sectionem inepta est* : *idq; propter virium infirmitatem & ὀλιγαιμίαν. Quia verò non omnium senum eadem ratio est,*

eſt, ideò ſubdit Galenus loco jam citato, *diſtinguendum eſſe inter ſenes. Eſſe enim pulſum validum & æqualem haud fallax robuſtarum virium indicium : ex abundanti autem & magnum. Quare ſi talis pulſus etiam in ſeptuagenario appareat, affectúsque jubeat, venam ſecandam præcipit* Galenus. *Reperiri enim quoſdam, & in hac ætate, qui multi ſint ſanguinis, viréſq; habeant robuſtas: pleroſq; verò ſiccos & ſanguinis pauci eſſe. Proinde, nō numero annorum ſolummodò animum aduertendum eſſe, ut quidam faciunt: ſed & corporis habitui. Eſſe quippe, qui venæ ſectionem non ferant ætatis anno ſexageſimo: cùm quidam, qui 70. annos nati ſunt, eandem facilè ſuſtineant. Addit tamen, ſeptuagenariis ſenibus minùs detrahendum eſſe; etiamſi eadem affectione laborent, quàm corpori in florenti ætate conſtituto.* l. de S.M. c.13.

QUÆSTIO IV.

Quod anni tempus ad ſanguinis miſſionem accommodatiſſimum?

Temporis habendam eſſe rationem in venæ ſectione, l. 9. meth.med.c.ult. *docemur. Eligit autem* Galenus *in prophylacticā phlebotomiā vernum: quemadmodum ex* l. de S.M. c.7. *liquet: ſequutus* Hippocratem aphor. 47. ſect. 6. *ubi dicitur, quibus venæ ſectio, aut purgatio convenit, iis vere ſecandā venam eſſe, aut purgationem conſulendam. Subdit* Galenus in commento, *ſermonem* Hippocrati *eſſe de iis, qui adhùc ſani ſunt, ſed ægri futuri, niſi vacuentur. Hos enim oportere, ut anticipemus vacuare aduentante vere, vel per venæ ſectionem, ſi plethoræ affectibus ſint obnoxÿ: vel per purgationem, ſi expoſiti iis, qui ex κακοχυμία proueniunt. Nam non ſolùm, ubi jam adeſt morbus gravis, inquit* Galenus l. de S.M. c.9 *ſanguinis detrahendi tempus eſt: ſed etiam ubi futurum ſuſpicamur. Anteuertit enim* Hippocratis *doctrina, quâ nos docet, quæcunq; morbis jam præſentibus rectè perageremus, melius*

eſſe,

esse, ut ipsa morbis incipientibus, aut imminentibus, antevertendo faciamus. Hinc c.7. libri ejusdem *scribit, eos omnes, qui cruentæ exputitioni, epilepsiæ, apoplexiæ, peripneumoniæ, pleuritidi, anginæ, morbis plethoricis aliis; adhæc passionibus oculorum, vertigini, podagræ, arthritidi, obnoxii sunt, veris statim initio vacuandos esse. Et testatur* ibidem *sanctè, cumpluribus se vehementer profuisse, quibus prophylacticam veris tempore vacuationem adhibuisset: in vitiis quidem ex* κακοχυμίᾳ *profectis purgationem: in plethoricis autem phlebotomiam. Quod ipsum specialibus quibusdam historiis* comm.6.aphor.47. *declarat. Causa autem, cur vernum tempus ad utramq; vacuationem sit aptissimum, est quintuplex. I. Quia temperatum est. II. Quia eo natura humana ob sanguinis & caloris ubertatem est valida atque robusta. III. Quia humores ob aëris tepiditatem liquantur & funduntur. IV. Quia fusi moventur. V. Quia natura ipsa verno tempore profundum corporis expurgare solet. Feliciùs ergò vacuatio succedit, cùm naturam habemus adminiculantem.* Aestas, *ob virium dissolutionem, ad vacuationes ejusmodi apta non est: præsertim ad fortes purgationes. Hinc scribit* Hipp. aphor.5. s.4. *sub cane & ante canem purgationes esse difficiles. Causam reddit* Galenus in comm. *triplicem. I. Quia natura æstivo calore exusta purgantium medicamentorum acrimoniam non fert. II. Quia eadem ob æstum debilis est, magisq; à medicamento debilitatur. III. Quia purgatio fit prava, ob contrarios motus. Nam æstivi aëris calor humores trahit à centro ad circumferentiam, non secus ac balneæ calidæ: contrarium facit catharticum.* Hyeme *humores concreti, fixi, quietique latent in corporis profundo. Principium* Autumni *simile est æstati. Adest præterea magna in eo inæqualitas, quæ humores conturbat: & humores recipere se incipiunt ad interiora.*

QUÆSTIO V.
Quæ regio sanguinis detractioni sit apta: quæ inepta?

Regionis naturam considerandam hîc esse, monet Galenus

tùm

tùm l. de S.M.c. 1. 6. *&* 13. *tùm* l. 9. meth. med. c. 17. *iterùm Præceptorem* Hippocratem *imitatus* sect. 1. aphor. 2. *ubi scribit, & in purgationibus, & in vomitionibus, & in quavis aliâ* κενεαγγείῃ, *vasorum depletione, ac consequenter etiam in sanguinis missione, habendam rationem esse regionis, temporis anni, ætatis, & morborum. Quemadmodum autem ver propter* εὐκρασίαν *ad vacuationes est opportunissimum: reliqua anni tempora propter* ἀκρασίαν *non item: sic regio temperata ad easdem valdè accommodata est: intemperata, tùm fervida, tum gelida, minùs. Causæ patent ex problematis præcedentis decisione.*

QUÆSTIO VI.

Quid Galenus per κάκωσιν τοῦ σόματος τῆς γαστρὸς intelligat?

Scribit Gal. c. 1. l. de S.M. *accidere quandoque, ut affectus quidem sanguinis missionem postulet: eam verò æger διὰ κάκωσιν τοῦ σόματος τῆς γαστρὸς, propter os ventriculi vitiatum, ferre nequeat. Quæritur ergò, quid sibi per κάκωσιν illam velit? Videtur autem mentem suam explicare* comm. 1. aphor. 23. *& innuere humores acres atque mordaces, vel ante vacuationem jam in orificio ventriculi, quod & σόμαχον appellari asseverat, coacervatos: vel in ipso vacuationis actu ad ipsum delatos. Horum enim causâ non rarò patientes in λειποθυμίαν incidunt.* Libro 9. meth. med. c. 5. *per κάκωσιν istam tria innuere videtur: vel bilem flavam orificium dictum infestantem: vel ipsius orificii imbecillitatem: vel nimium illius exquisitúmque sensum.*

QUÆSTIO VII.

Qui corporis habitus venæ sectionem faciliùs, qui difficiliùs ferat?

Universalis totius corporis habitus in illis maximè spectatur

par-

partibus, inquit Galenus *in μικροτέχνῃ c. 50. quæ primæ oculis subjiciuntur: cujusmodi sunt musculi, ossa ambientes, qui carnes sunt compositæ ex carne primâ & simplici, & fibris, quas ipsa convestit. Est verò habitus nil aliud, quàm ipsa κατασκευὴ τοῦ σώματος, per quam raro, aut denso: molli, aut duro: gracili, aut pingui: glabro, aut hirsuto: crasso aut tenui: albo, aut nigro corpore quis esse dicitur. Illius* Galenus *sæpiùs meminit, & diligenter in vacuationibus, præcipuè verò sanguinis detractionibus, considerandum monet: velut ex* l. de S. M. c. 1. 6. 11. 13. & 14. l. 9. meth. med. c. 5. & ult. *&* l. 1. ad Glauc. c. 14. *patet. Faciliùs autem, & largiorem quidem sanguinis missionem sustinent, quibus habitus corporis est densus, quàm rarus: durus, quàm mollis: mediocriter gracilis, quàm pinguis & obesus: hirsutus & niger, quàm glaber & albus. Ratio est: quia raro corpori multa accidit per halitum digestio: denso atq; compacto pauca. Eadem ratio est corporis mollis ac duri: quorum illud facilè & largiter: hoc minùs à naturâ vacuatur. Corpus glabrum, pingue, & candidum venas habet angustas, spiritus paucos, sanguinem modicum, debilémque calorem, qui celeriter levem ob causam destruitur. Corpus gracile contrario modo se habet: ut colligitur ex* comm. 6. aphor. 2.

QUÆSTIO VIII.

Quo tempore sanguinis missio instituenda?

Venæ sectio aut προφυλάξεως ἕνεκα administratur in sanis: aut θεραπείας χάριν in ægris. Quo tempore prophylactica phlebotomia instituenda sit, dictum fuit quæstione 4. Quo exercenda therapeutica, nunc docendum. Est verò tempus istud duplex: universale morbi & particulare diei: certa scil. illius hora. Quo morbi tempore sanguis detrahendus sit, explicat Gal. *multis capitibus* l. de cur. rat. per S. M. *vultq;, in principio statim vacuandum esse. Nam c. 5. utramq; plethoram διὰ ταχέων,* festinè, *minuit: quoniam plethora ad vires facilè in putredinem abit, & tumores in partibus creat.*

Ple-

Plethora verò ad vasa sæpiùs in partes decumbit, & similiter tumores in illis parit. Adhæc, & apoplexias, & venarum ruptiones molitur. Cap. 8. *ἐν φλεγμονῇ ἀρχομένῃ sanguinem revulsionis ergò mittit.* Cap. 9. incipiente morbo *magno sanguinem eximit.* Cap. 11. *in narium hæmorrhagiâ v. sectionem, tanquam revulsorium præsidium, adhibet* maturè, *cùm scil. virtus adhùc valet.* Cap. 12. *in febribus acutis, quas ferventis sanguinis copia accendit, τάχιστα,* quàm ocyssimè *sanguinem detrahit, priusquam in principem aliquam partem is decumbat. Ridendam proinde illorum opinionem esse tradit c. 20. qui docuerunt, post tertium demùm diem, cùm scil. & species, & mos, & natura tota morbi cognita est, venæ sectionem celebrandam esse.* Sed hîc quæritur, *num exactis diebus trib aut 4. venæ sectio præcipienda? Respondet* Galenus cap. 20. *fieri aliquando, ut Medicus tardiùs accersatur: sed tamen non dierum numero attendendum esse: sed potiùs ad indicans venæsectionis respiciendum. Quocunq; enim die mittendi sanguinis scopi in laborante se obtulerint, in eo auxilium istud adhibendum esse præcipit, etiamsi vel vigesimus is ab initio extiterit. Concludit ergò, maturandam esse S. missionem, in quib. ea est ex usu: considerandum solùm, num corruptio aliqua cibi, qui in ventriculo concoqui debuerat, facta sit: aut tarda concoctio: aut etiam cibi in eo contineantur: aut succi crudi in primis venis delitescant? Tùm enim tamdiu v. sectionem suspendendam, donec cruditas sit concocta, aut κακοχυμία primæ corporis regionis exhausta Quod ipsum etiam* Galenus l. 9. meth. med. c. 5 & l 11. meth med. c. 14 & l. de cur. rat ad Glaucon c 14. *nec non* l. de cur. rat per S. M. c. 6 9. & 10. *innuere videtur.* Particulare tempus, *sive* partem, horamve diei *quod attinet, scribit* Galenus l. de cur. rat. per S M c. 21 *fuisse quosdam, qui statuerint, manè tantùm tundendam esse venam: aut ad summum in horam usq; quintam, sextamve. Verùm, ridiculum hoc esse* idem ibid. cap. 12. *monet: fateturq; ingenuè, graviter se in illos animadversurum fuisse, si idem tempus etiam in aliarum medicinarum exhibitione observâssent. Cùm verò soli sanguinis detracti-*

oni matutinum tempus, quod à ſecundâ diei horâ uſq; ad quintam, aut ſextam exporrigitur, aſſignârint: reliqua verò præſidiorum genera quavis diei noctiſq; horâ uſurpârint, ſcil. pro ut affectus poſtulaverat: tolerabilem hunc illorum fuiſſe errorem perhibet. Eſt igitur Galeni *ſententia de horâ venæ ſectionis* cap. 21. *iſta: quòd ea celebranda ſit in* ἀπυρεξίᾳ *intermittentium febrium: in* ἀνέσει, *ſive remiſſione, continuarum: in acutiſſimis verò febribus, quas ferventis ſanguinis copia accendit, quales ſunt* σύνοχοι, *quavis diei noctiſq; horâ. Ait enim* cap 12. *ne noctu quidem hiſce in febribus venæ ſectionem extimeſcendam eſſe: ſed quàm ocyſſimè vacuandum, priusquam ſanguis fervidus in principem aliquam partem decumbat. Se quippe noctu ſervo cuidam, putridâ laboranti* συνόχῳ, *ſanguinē uſq; ad animi deliquium, magno cum ſucceſſu detraxiſſe,* l 9. meth. med. c. 4. *teſtatur. In affectibus aliis, qui febri carent, & S. miſſionem efflagitant, magnitudinē aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectûs, ponderandam monet. Cùm nihil horum, aut urget, aut prohibet, præſtare arbitratur, ſi matutino tempore vena aperiatur: & quidem patientibus haud protinùs ex ſomno excitis: verùm circiter horam unam jam anteà vigilantibus. Expedire etiam quibusdam aſſerit, ut ante venæ ſectionem, vel lavacro utantur: vel mediocriter ſe moveant, atq; obambulent. Qui non* θεραπείας, *ſed* προφυλάξεως ἕνεκα, *ineunte vere ſanguinis miſſione habebant opus, iis eandem inſtituiſſe ſe dicit, poſtquam rerum ſolitarum quippiam obiiſſent, vel in ludo literario, vel in officinis, vel in ædibus.*

QUÆSTIO IX.

Quæ venæ quibus affectibus ſecandæ?

Notorium eſt, venæ ſectionem præſidium eſſe ἀντισπαστικὸν, παροχετευτικὸν, καὶ κινωτικόν. *Cùm vena ſecanda* ἀντισπάσεως, *revulſionis ergò, uti ſecanda in principiis inflammationum, eligendus locus, qui & inflammatæ parti* κατ' ἴξιν *reſpondeat: & ab eâ longè ſit remotus:*

motus: & eidē quoq; contrarius. Sic enim docet Galenus l. 13. meth. med. c. 11. *Quòd vena* κατ' ἴξιν *incidenda sit, probat* Galenus l. de cur. rat. per S. M. c. 15. *& 16. partim authoritate* Hippocratis, *qui hanc secandi rationem diligenter observavit: partim verò experientiâ. Nam quibuscunq;, inquit,* κατ' ἴξιν, *seu, quod idem,* κατ' εὐθὺ *eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus adfert. Quibus verò* ἀνάπαλιν, *contrà, evenit, nihil juvat: aut etiam interdum nocet; quòd scil. vires citra morbi levamen dejiciat atq; exolvat. Non enim in liene turgente ex dextrâ nare erumpens sanguis; nec in hepate ex sinistrâ, ullam ad fert utilitatem: sed revulsio, quibus* κατ' ἴξιν *adhibetur, evidentem utilitatem celeriter ostendit: quibus* ἀνάπαλιν, *non item. Dextrâ igitur nare sanguis erumpens, ad dextram hypochondrium fixâ cucurbitulâ, evidenter velociterq; sistitur: sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpens. Quodsi revulsionis causâ venam tundas, in directè quidem oppositis sanguinis eruptionibus citissimè manifestam videbis utilitatem: at si contrà feces, nullam. Idem asseverat* cap. 16. *additq;, venam* κατ' ἴξιν *sectam adeò præsens sæpè remedium esse, ut & ægrotantes, & adstantes haud rarò obstupescant. Id quod* cap. 17. *eleganti historiâ declarat. Liberaverat enim divitis cujusdam Romani Oeconomum ab inflammatione & fluxione oculorum maximâ, nec non à dolore eorum insigni: idq; intra spatium paucorum dierum, venâ* κατ' ἴξιν *sectâ humerali in brachiis, sanguineq; intra 5. horas bis evacuato: primâ quidem vice ad libras tres: secundâ verò ad unam. In pleuriticis, inquit idem* Gal. c. 16. *sanguinis missio è directo laborantis lateris adhibita evidentissimam sæpe utilitatem attulit: ex opposito verò brachio, aut omninò obscuram: aut certè post temporis intervallum. Oculorum dolores gravissimos, subdit* idem, *sectio venæ è directo, quam externam, humeralem & cephalicam appellant; intra unius horæ spatium persæpè compescuit. Dolentibus igitur oculis secanda vena humeralis: Affecto verò latere, aut pulmone, aut septo transverso, aut liene, aut hepate, aut ventriculo, vena, quæ per alas ad cubiti juncturam pertingit; & maximè interna:*

quæ à nostratibus basilica vocatur, tundenda: aut mediana. Hi enim sunt tres loci mittẽdi sãguinis ex cubito: interior, exterior, & medius. Interioris, sive basilicæ sectio utilis est in iis, quibus partes collo inferiores patiuntur. Exterioris, quæ cephalica & humeraria dicitur, in illis, quibus partes thorace superiores laborant: ut caput, aut facies. Medius locus interdum utrasq; cephalicam scil. & basilicam, diductas habet in ulteriorem brachii partem tendentes, ac deinde hîc coëuntes: aliquando verò in unam mutuò congredientes, in ipso statim juncturæ flexu: ac nonnunquam earum alteram obscuram: alteram manifestam & conspicuam. Neq; enim eodem semper modo ramos diffundunt. Ubi igitur, inquit idem, *vena, quæ parti affectæ propria est, obscurior fuerit, ad aliquam mediarum accedendum; sed ad eam, quæ à propria diducitur. Licebit etiam venas, quæ infra cubiti flexuram sunt, secare: cùm scil. quæ in cubito sunt, non apparent: sed eas, quæ* κατ' ἴξιν *laborantibus partibus respondent.* Ex his liquet, *quæ venæ incidendæ sint*, si partes vel thorace superiores, vel etiam in ipso thorace contentæ *laborent: nimirùm illæ, quæ sitæ sunt in cubito. Significandum nunc, quæ aperiendæ*, si partes affectæ infra thoracem constiterint; *cujusmodi sunt, coxendix, uterus, vesica & renes. In harum autem partium affectionibus, vacuationis & derivationis ergò tundendæ venæ sunt poplitis & malleolorum. Renes tamen ancipites videntur, & medio quasimodo se habent. Sunt enim inferiores capite, collo, & thorace: superiores autem coxâ, utero & vesicâ. Quare levamen aliquando ex venarum cubiti sectione sentiunt: cùm nimirùm inflammatio recens est, adéstq; sanguinis copia. In* nephritide *verò propriè dictâ, aut poplitis vena tundenda, aut aperiendæ illæ, quæ in malleolis consistunt. Id quod etiam faciendum in* inflammationibus uteri, *quæ jam aliquo usq; progressæ, ac propterea tùm derivationem, tùm vacuationem postulant. Namque ex venarum cubiti incisione evacuationes fiunt, sanguinem ad superiora retrahunt, menséśq; supprimunt. Quæ verò fiunt ex poplite & malleolis, tantum abest, ut retrahant, ut etiam menses promoveant. Quodsi hos movere*

animus

animus sit, tribus quatuorve dieb. ante consuetum menstruationis tempus, aut malleoli scarificandi; aut vena in poplite, talove secanda: idq; duobus deinceps diebus faciendum: uno quidem in dextro: altero verò in sinistro pede. Hisce tamen diebus, quibus vacuatur, & ante illos 4. aut 5. extenuans victus procurandus. In ischiade, *sive* dolore coxendico, *non ex frigore, sed impletis sanguine, quæ in coxâ sunt, venis, vacuatio ex venis cruralibus necessaria est. Commodior tamen est sectio venæ popliteæ, quàm malleolorum. Scarificatio autem non prodest evidenter. Ut summatim dicamus, inquit* Galen. l. de cur. rat. per S. M. c. 19. *incipientibus inflammationibus* ἀντίσπασις *debetur: inueteratis autem* κένωσις ἢ παροχέτευσις. *In illis enim avertere convenit, quod influit: in his id evacuare, quod est affectæ parti infixum. Revellitur autem & avertitur quod influit, si trahatur ad longinqua & ad contraria, sectâ venâ illâ, quæ* κατ' ἴξιν *parti laboranti respondet. Evacuatur autem, vel ex ipsis, si fieri potest, partibus affectis: vel, si nequeat, saltem ex vicinis: nempè per venas conjunctas cum illis, quæ in partibus affectis sitæ sunt. Quocirca in principio inflammationum faucium & arteriæ asperæ, hoc est,* in anginâ, *sectio venæ cephalicæ, quæ in cubito est, & raninarum, quæ sub linguâ latitant, mirificè auxiliatur. Illius quidem in principio, cùm fluxio adhùc viget: quia divertit: harum verò in progressu, cùm fluxio cessavit: quoniã evacuat.* Inflammatio oculorum, ὀφθαλμία *Græcis appellata, vel inveterata est: vel incipiens. Illi competit vacuatio: huic revulsio. Vacuatio fit ex illius venæ sectione, quæ ad magnum oculi est angulum. Non enim ex ipso oculo, quod est impactum, evacuare licet. Ideóq; vacuandum ex venâ maximè vicinâ. Revulsio fit, sectâ venâ cephalicâ,* κατ' εὐθὺ *inflammato oculo respondenti: ut constat ex curâ Oeconomi c. 17. propositâ.* Capitis gravitas magnúsque dolor, *aut incipit, aut viget, aut jam aliquandiu duravit. Incipientem vigētémq; cucurbita occipiti, vel cum, vel sine scarificatione affixa, compescit: quoniam revellit: & quidem cum successu felici, si priùs totum corpus sit vacuatum. Nam si corpus sit* πληθωρικὸν, *ait* Galenus

nus l. 13. meth. med. c. 19. *in quacunq; capitis parte cucurbitam defixeris, totam ipsam implebis. Diuturnum verò, dummodò ex plenitudine contractum, vena frontis secta levat: quia vacuat atq; derivat. Eadem ratione incipientes occipitis dolores, aut etiam vigentes, incisa vena frontis juvat: sic etiam monente* Hippocrate aphor. 68. s. 5. *quoniā avertendo simul vacuat: teste* Galeno in commento. *Duo enim præcepta hic diligēter notanda: Unum: quòd incipientibus fluxionibus & inflammationibus revellendum sit cum vacuatione. Alterum: quòd in inflammationibus inveteratis, cùm dolor remisit, fluxióq; desiit, & inflammationes, ob induratas humorum impactorum reliquias, velut scirrhi naturam referunt, ex ipsis laborantibus partibus, aut illis vicinis, vacuandum.*

Atque hæ venæ secandæ *sunt, cùm partes ipso jam actu laborant*. Quod si rogetur, *quæ ergò incidendæ*, quando corpus nondum ægrotat: *sed ne ægrotet, verno tempore sanguinem sibi mitti* προφυλάξεως ἕνεκα *curat*? *Respondet* Galenus l. de cur. rat. per S. M. c 19. *per distinctionem. Etenim corpus aut ita comparatum est, ut nulla ejus particula malè habeat: aut sic constitutum, ut membrum aliquod, nisi vernali tempore vacuatio celebretur, præ cæteris afficiatur. In priori statu nil referre dicit, quâ in parte vena secetur: dummodò redundantia sanguinis tollatur. Et in hoc casu positi sunt illi, qui quotannis æstivo tempore febribus corripi consueverunt. In posteriori autem non æquè ex quavis parte vacuare licet. sed quemadmodum in iis, qui jam ægrotare incipiunt, plurimùm refert, quam venam tundas: sic, ubi una aliqua particula præcipuè affligitur, haud parum interest, ubi venæ sectionem administres. Nam* podagrici *v.g. vacuandi sunt ex cubito*: epilepsiæ & vertigini obnoxii *potiùs ex cruribus. In* retentione hæmorrhoidum, *siquidem eas retentas servare ac supprimere sit animus, venæ brachii secandæ: sin provocare, crurum. Quibus* suppressi sunt menses, *crurum venas aperiant semper; nunquam brachiorum. Dispar quippe ratio mensium est & fluxûs hæmorrhoidalis.*

dalis. A menstruâ enim purgatione nemo vult liberari. Naturalis siquidem est, & nil mali ex eâ metuendum. At liberaretur ab eâ, si venæ brachii tunderentur: quoniam sanguis retraheretur sursum. A fluxu verò hæmorrhoidum quidam cupiunt esse immunes. Est enim in quibusdam suspectus, & in tantam evadit immoderationem, ut vel hominem prorsùs interimat: vel hydropicum, aut cachecticum reddat. Ideóq; haud immeritò præcavetur sectione venarum cubiti. Quod si objicias, *idem periculum etiam imminere ex purgatione menstruâ: quoniam & ipsa aliquando enormis esse solet. Respondet* Galenus, *istud quidem interdum fieri: sed p.n. & in causâ esse venarum erosionem. Ideóq; sanguinem immoderatiùs erumpentem sisti: non sicuti naturaliter fluentibus cursum suum permitti.* Quæ dicta de vernâ vacuatione prolixiùs, hoc ἐπιλόγῳ breviter *comprehendit* Galenus. *Qui ineunte vere sanguinem mittere intendunt, siquidem partem aliquam habeant insigniter infirmam, in quam, quæ colligitur plenitudo, decumbat, ἀντισπαστικῶς vacuare debent. At si nulla pars præ cæteris plus affligatur, ex quacunq; parte placuerit, vacuare possunt: suppressione tamen hæmorrhoidum & mensium exceptâ: in quâ illæ venæ secandæ, quæ modò recensitæ.* L. de cur. rat. per S. M. c. 19.

QUÆSTIO X.

Quâ mensurâ sanguis vacuandus?

Galenus l. de cur. rat. per S. M. *multa proponit, quæ evacuandi sanguinis mensuram determinare scribit: nempè affectum, cujus causâ sanguis detrahitur, vires, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, præcedentem victum in quantitate & qualitate, habitum corporis, motus, quos quis exercuit, excretiones, quas quis habuit, aut præter solitum compescuit: quemadmodum ex cap. 6. 9. 13. & 14. liquet. Verùm sciendum, unum esse, quod propriè sanguinis detrahendi quantitatem indicat, actionem, sive vehemen-*

tiam & magnitudinem vitii ſanguinis: reliquas circumſtantias, vel permittere ſolùm, aut prohibere quantitatem vacuandi ſanguinis, à quantitate, ſive magnitudine vitii ſanguinis indicatam: vel parciorem ſaltem ſuadere: vel iteratam poſtulare, ut vires: vel indicantis magnitudinē, viriumve robur patefacere: ut quæ præter vires commemoratæ ſunt circūſtantiæ. Sed ſumamus indicantis vocem in latiore ſignificatione, more Galeni, *& quid quidlibet eorum, quæ narrata ſunt, ad definiendam vacuandi ſanguinis menſuram conferat, ediſſeramus.* Largiore manu detrahendum eſſe ſanguinem ſuadent, *affectûs magnitudo, virium robur, ætas florens, anni tempus vernum, regio temperata, ſubjectum vacuationibus aſſuetum, habitus corporis modicè gracilis, qui neq; candidus, neq; molli tenerâq; carne præditus, & cui venæ ſunt amplæ: adhæc, corpus mediocribus deditum motibus, & cui conſueta ſolennísq; aliqua ſanguinis vacuatio, vel per nares, vel per venas uterinas, aut hæmorrhoidales eſt ſuppreſſa: quódq; cibis, & multis, & multùm nutrientibus fuit uſum.* Contrà, parciùs vacuandum monent: *affectûs exiguitas, virium infirmitas, ætas, tùm puerilis, tùm ſenilis, anni tempus æſtivum, ea potiſſimùm ejus pars, quæ eſt ſub cane, & ante canem, regio præcalida, ſubjectum vacuationibus inaſſuetum, habitus corporis pinguis, candidus, mollis & delicatulus, cui venæ ſunt anguſtæ & parvæ: corpus, quod laboribus & exercitiis aſſiduis per habitum corporis ſenſibiliter, aut inſenſibiliter quotidiè vacuatur; item, cui nulla ſanguinea excretio eſt repreſſa, quódq; paucis, parumve nutrientibus cibis fuit altum.*

Idem Galenus libro eodem cap.14. *tria proponit ſigna, quæ ſi adſint, ab ulteriore vacuatione abſtinendum præcipit: nimirùm ſanguinis mutationem, & in colore, & in conſiſtentiâ: labaſcens fluxionis robur, & pulsûs mutationem.* Mutationem ſanguinis *dicit potiſſimùm attendendam eſſe in partis alicujus inflammatione: idq; ex mente* Hippocratis l. de vict. acut. *quando de pleuritide verba facit. Alius quippe ſanguis eſt, qui in phlegmone continetur, ab eo, qui ſecundùm naturam eſt: utpote plus excalfactus.*

Nam

Nam si anteà crudior erat, rubicundior modò & flavior efficitur. Sin ejusmodi priùs fuerat, ad nigredinem vergit adustione. Proinde Hippoc. *de pleuriticis* comm. 2. t. 10. *hunc in modum scriptum reliquit: secanda in cubito vena interna; nec verearis multùm detrahere, donec rubicundior flaviórq; multò fluat, aut pro puro & rubro lividus; utrumq; enim evenit. Signum quippe est, sanguinis aliquid in sectam venam assumptum esse.* Ἐπανόρθωσιν *tamen* Galenus *subjungit, monétq; non semper hanc expectandam esse sanguinis mutationem: sed aliquando etiam ante illam cessandum: idq; duplici nomine: nimirùm cùm vires sunt infirmæ: aut phlegmone maligna: in quâ sanguis adeò fortiter est constrictus, ut nihil ab eâ emittatur. Si tamen vires exolvi vacuatione nondum videantur, (id quod scies ex pulsu, & ætate florenti) expectari vult mutationem: maximè si aër sit temperatus.* Labascens fluxionis robur *hìc intelligitur, non quando minori impetu sanguis fluit, vel ob ægri pusillanimitatem: vel oris ventriculi morsum; vel sanguinis, qui in progressu vacuationis ad sectum locum fluit, crassitiem, aut glutinositatem: sed ob multitudinem sanguinis detracti.* Mutatio pulsùs *signum est haudquaquam mendax. Quiescendum enim, & à sanguinis detractione desistendum, cùm is, non ex* κακώσει *stomachi, neq; ex pathemate animi, aliave causâ: sed ex vacuatione alteratur: & ex magno fieri incipit parvus: ex valido languidus: ex æquali inæqualis.*

QUÆSTIO XI.

In quibus semel sanguis mittendus: & in quibus repetita facienda detractio?

Cùm vires constant, éstq; sanguis vacuationis duntaxat gratiâ detrahendus, Galenus *unâ vice tantum mittit, quantum magnitudo morbi exposcit: præsertim si malum sit præceps & periculum minetur. Hinc ubi fervescentis inest sanguinis plenitudo, acutissimam accendens febrem, expedire scribit* c. 12. l. de cur. rat.

 per

per S. M. *ut subitò ac simul evacuatio instituatur: priusquam scil. in principem aliquam partem ingruat.* Cap. 5. ejusdem libri *monet, plethoram* κατὰ τὸ ἔγχυμα *celeriter tollendam esse, priusquam magnum aliquod malum in homine admittat. Admittere autem solet, & tumores sanguineos, & venarum ruptiones, & nativi caloris extinctionem, & apoplexias. Hinc* Hipp. aphor. 3. sect. 1. *eandem* μὴ βραδέως, *haud cunctanter, solvendam innuit, si ad summum gradum sit perducta.* Quod si affectus largam *sanguinis vacuationem requirat: vires autem sint debiliores, quàm ut eam unâ vice ferre queant: sanguinem iteratis vicibus detrahendum suadet* Galenus l. de cur. rat. per S. M. c. 12. l. 9. meth. med. c. 10. & l. de cur. rat. ad Glauc. c. 14. *Sic enim, & affectui, & viribus consulitur. Illi, quia causa tollitur: His, quia interim dùm suspenditur vacuatio, bonâ victûs ratione refocillantur. Oportet namq., inquit idem* 9. meth. med. c. 10. *paulatim, quod vitiosum est, vacuare; & paulatim, quod salubre est, pro eo reponere. Quam curam Græci* ἐπίκρασιν *vocare solent: & quam idem* Galenus l. de cur. rat. per S. M. c. 12. *in crudorum humorum copiâ usurpat. Nam pauculo sanguine detracto, protinùs crudos crassósq. humores coquit, incidit atq. attenuat: rursúsq. sanguinem minuit, vel ipso eodem nonnunquam die: interdum die postero: in quo denuò exhibet aliud coquentium, incidentium & attenuantium medicamentorũ: iterúmq. de sanguine aliquid auffert: ac rursùs tertio die similiter bis.*

Iteratis insuper vicibus *sanguinem demit, cùm* ἀντισπάσεως ἕνεκα *venæ sectionem administrat. Sic enim scribit* l. de cur. rat. per S. M. c. 12. *Revulsio sæpè sectâ venâ instituitur: eòq. efficacior est, quò in plures particulares detractiones eam diviseris. Natura quippe (addimus nos sæpiùs per venæ sectionem sollicitata,) tandem assuefit, ut sanguinem ad locum contrarium convertat, afflictámq. particulam missam faciat. Ejusdem repetitæ venæ sectionis idem meminit ibidem, cap. 13. 16. & 21. Et hoc quidem postremo loco docet, quo intervallo venæ sectionis repetitio instituenda. Distinguit*

enim

enim inter vacuationem & revulsionem. Cùm simpliciter vacuare studet Galenus, *venæ sectionem eodem die iterat. Cùm revellere, vult, ut duobus deinceps diebus instituatur. Monet tamen, & in sanguinis missione, simplicis vacuationis gratiâ celebrandâ præcipit, non tàm ad eandem diem, quàm ad vires laborantis respiciendum esse. Esse enim quosdam, quorum vires adeò facilè afficiantur, ut confertam vacuationem ferre nequeant. Hos ergò primâ die post vacuationem refocillandos esse: & secundâ iterum vacuandos.*

QUÆSTIO XII.

Quibus usque ad animi deliquium sanguis mittendus: & in quibus ejusmodi vacuatio, tanquam summè detrimentosa, fugienda?

Vacuationem sanguinis, quæ fit usq; ad animi deliquium, periculosam judicat Galenus l. 9. meth. med. c. 10. *Scribit enim duos se vidisse ægros, qui in ipsis Medicorum, detractionem sanguinis usq; ad* λειποθυμίαν *aggressorum, manibus perierint. Multos, etsi non protinùs, haud longè tamen pòst propter virium infirmitatem interiisse memorat. Aliquos, debilitatâ præ nimiâ inanitione virtute naturali, in chronicos incidisse morbos affirmat. Nonnullis totius corporis temperamentum factum fuisse frigidius refert: cujus causâ alii quidem quavis ex occasione sint læsi alii facti decolorati, & καχεξίαν passi: alii in morbos exitiales, v.g. hydropem, orthopnœam, jecoris & ventriculi imbecillitatem, apoplexiam & paraplexiam præcipitati. Idem* l. de cur. rat. per S M. c. 12. *narrat, tribus accidisse Medicis, ut, cùm sanguinem usq; ad* λειποψυχίαν *mittere vellent, ægrotantes vitâ privârint. Hanc tamen largam & copiosam sanguinis evacuationem idem* Galenus *ibidem concedit, si scil. vires eam permittant, & fervescentis urgeat sanguinis copia,*

quæ acutissimam accendat febrim. Ait namq́, novisse se quosdam, qui ex istâ inanitione fuerint à febri liberati. Refrigeratos n. esse, & sudores erupisse corpore toto, alvi insuper profluviū supervenisse. Utile autem esse dicit, pulsuum diminutionibus animum advertere: quod fiet, si sanguine etiamnum fluente pulsibus manum admoveamus: ne videlicet nobis nec opinantibus pro λειποθυμίᾳ *mors occupet: quod tribus accidit Medicis: quorum unus venam secuerat mulieri: reliqui duo viro: sed ad tantum animi deliquium duxêre, ut vires recuperari non possent. Itaq́ satius esse arbitratur, tàm copiosis abstinere vacuationibus, nisi magna incumbat necessitas. Virium autem robur perpetuò requirit, secutus* Hippocratem aphor.23.f.1. *ubi dicitur, vacuandum aliquando esse* μέχρι λειποθυμίης, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων, *usq́ ad animi deliquium, si ægrotus par esse possit, hoc est, si tantum virium habere videatur, ut largam hancce vacuationem sustinere queat. Et* Galenus *felicem istius vacuationis eventum nobis monstrat in duobus ægris*, l. 9. meth. med.c.3.& 4. *quorum alter synocho laborabat putredinis experte: alter verò synocho putridâ. Cæterùm non solùm in febribus hisce, quas ferventis sanguinis accendit copia; verùm etiam in maximis inflammationibus, & atrocissimis doloribus, usq́ ad* λειποθυμίαν *vacuandum censet*, comm.1. aphor.23. *iis puta doloribus, qui vel à sanguine orti: vel affluxum sanguinis & inflammationem minantur. Id quod in iis maximè corporibus fieri solet, quæ sanguine abundant tenui & fervido.*

QUÆSTIO XIII.

An cum doctrinâ de phlebotomiâ rectè conjungatur ea, quæ arteriotomian complectitur?

Enucleavimus quæstiones illas, quæ de phlebotomiâ in Galeni lib. de cur. rat. per S.M. *continentur. Placet coronidis loco addere quædam de arteriotomiâ, quæ habentur* in eodem *postremis*

mis duobus capitibus. Rectè autem arteriotomia cum phlebotomiâ conjungitur, duabus de causis. I. Quia veteres arterias vocabant venas. II. Quia ambæ doctrinæ valdè sunt affines: teste eodem ibid. c.22. *Utraq; enim agit de incisione vasorum: utraq; sanguinis missionem sibi propositam habet: in utraq; de iis tractatur scopis, de quibus in phlebotomiâ actum: nimirùm de quantitate vacuationis, de tempore, de loco sectionis, de ætate, viribus, habitu corporis, victu prægresso, consuetudine, regione, & his similibus aliis.*

QUÆSTIO XIV.
An arterias secare liceat?

Galenus *scribit* l. de cur. rat. per S. M. c.22. *Medicos haud facilè ad arteriotomiam accedere: tùm quia sanguis arteriosus secta arteriâ ægrè admodùm compescitur: tùm quia vulnus arteriæ aneurisma ut plurimùm consequitur. Addit insuper* cap. 23. *novisse se quosdam, qui, postquam secta esset arteria in cubito, expirârint: alii quidem in curâ gangrænæ, quæ subsequuta: alii verò in sanatione aneurismatis, quod sectionis arteriarum comes utplurimùm esse solet. Fatetur tamen* c.22. *incisas à quibusdam fuisse arterias minutiores in temporibus, & post aures. In illis quidem, cùm calidæ & spirituosæ fluxiones oculos infestassent. Post has autem, cùm vertigo & diuturni, iiq; calidi & spirituosi dolores caput corripuissent. Et* cap. ult. libri citati *refert, secuisse se arterias, tùm in summis artubus, tùm in capite: idq; fecisse per insomnia monitum. Secuisse verò illas in omnibus doloribus, qui à calidâ spirituosâq; substantia prodire videbantur. Itaq; parvas arterias aperiri posse concedimus: sed non nisi urgente necessitate magnâ: & aperiri volumus à chirurgo perito, qui sectas rectè tractare nôrit. A magnarum autem incisione abstinemus. Nam & sanguis inde erumpens ægrè sistitur: & vulnus difficulter, ob motum, & duritiem ac siccitatem earum, consolidatur: & aneurisma utplurimùm consequitur, quod curationis est difficilis: & ægri ob vitalium spirituum dissipationem valdè debilitantur.*

FINIS.